



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quocumque deinceps die occurrat Dominica 2. post Epiphaniam, illi
standum, prætermisiss aliis antecedentibus Feriis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

plum nostrum abstinuit, aut quæ sustinuit. Nam imperare proprius actus est Dominationis, & Excellentia; obedire verò & humiliari, servitutis, & abjectæ conditionis. Unde quantum dominatio & servitus, quantum excellentia & abjectio, longè inter se distant; tam procul & remote à seipso, se Christus demittit, cum ad illa infima & abjecta descendit, quæ mavult facere, & factu suo nobis commendare, quam imperare.

Is. 28.

Hinc fortè dictum à Prophetâ: *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Quasi diceret, opus proprium Christi Regis, & Domini esset imperare, & imperando nos regere: at vero aliena sunt ab eo, & peregrina illa, quæ ad nos, instruendos prælegit. Atq; illud est quod Apostolus tanto perè de Christo Jesu prædicat, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Et quæ plura illic sequuntur, non minus ad affectum ardentia, quam ad intellectum clara ut videas quò se usquè demiserit qui se nostrum exemplar fecit. Ah quoties vel videre dissimulasti, vel vidisse nil profuit?

Phil. 2.

III. PUNCTUM.

SIC nos igitur Christus Dominus exemplo suo magis urget quam imperio; Non modò quia inferiori em pudet non facere quod Superior facit, sed quia Superioris demissio & humanitas quæ in exemplo dato magis lucet quam in imperio exercito, tantam vim habet in animis hominum, ut qui alioquin fortè resistenter imperio cedant exemplo. Irritatur lege & præcepto concupiscentia, ut susè probat Apostolus; at emollitur exemplo & gratia. Hæc est lingua tertia qua ut est in Ecclesiastico, multos commovit. Prima lingua est conceptus mente formatus; secunda

Rem. 7.
Ecc. 28.

est verbum quo conceptus exprimitur; tertia vero est factum seu exemplum, quod longè magis movet quam verbum. Sic de Christo, postquam Prophetâ dixit, *Ei factus est principatus super humerum ejus, paulo post addit, Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* id est, magis se ostendet Principem & ducem exemplo quam imperio aut præcepto, neque tamen propter eam minus erit imperium ejus, imò inde augetur, & à multo pluribus tranquillè coletur, & pacificè.

Is. 9.

Hoc Christus stimulo suo imprimis urgebat; Scitu, inquit, quid fecerim vobis: Vos vocatu me Magister & Domine, & bene dicitu, sum etenim; si ergo laovi pedes vestros, Dominus & Magister; & vos debetis alter alteri lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis, Amen amon dico vobis, non est servus major Domino suo, neque Apostolus major eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Jo. 13.

Observe hæc postrema verba, non beatum dicit, qui sciat, se à qui faciat, undè tu vide quam multa scias, & pauca facias; Vide quàm parum scias te moveri tot exemplis quæ quotidie contemplaris. Vide quàm sit ferreus quem tanta non emollit & urget Charitas, tanta humilitas, tanta mansuetudo, & aliæ virtutes ad imitandum propositæ. Heu quanti longè retroque manerent nisi tua præclara exempla inspicerent; Ecce adhuc te peccimus auditos tot signis tuis, & doctrinis! Quid fieret si tantum lumen ad sequendum te non haberemus. Lege integrum caput notatum; & illud familiare habeto in omnibus: Itane Christus fecit? Aut sicut si has Christi voces audires? *Sequere me. Qui mihi ministrat, me sequatur. Quid ageres? Quid responderes?*

Vide, Verbo Exemplum, Imitatio.

DIE XIV. IANVARI.

Nisi forte sit Dominica secunda post Epiphaniam, Quæ dum occurret, illi standum, prætermisiss aliis.

DE SOLITVDINE CHRISTI DOMINI PER QUADRAGINTA DIES IN DESERTO.

Et statim Spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, eratque cum bestiis. Marc. I.

Haynensis pars prima.

R

VERI.

VERITAS PRACTICA.

Ex lib. 1. de Imit. Chr. c. 20.
Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet.
Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet.

RATIO EST, Quia nemo secure apparet aut loquitur, nisi qui oeno tutus est à damnis lingua, & humana conversationis, quantum quidem cum Gratia se tueri potest.

Sed nemo ab his damnis bene tutus nisi qui libenter latet & tacet.

Ergo etiam Nemo alius secure apparet aut loquitur. Ac proinde quam expediat latere & tacere, poterit erudenter.

I. PUNCTUM

Siquid est stupendum in vita Domini Jesu. Illud est maxime, quod cum homo factus esset ut inter homines conversaretur & ad se converteret, cum is esset finis adventus eius in hunc mundum, cum tantus inde fructus in eos omnes quibuscum versaretur, redundare posset, cum eius essent delicia sic esse cum filiis hominum, cum nihil inde mali esset quod sibi metueret; Tam traditamen, tam modicum, & tanta cum præcautione conversatur cum hominibus, ut alienum ab eius fide atque instituto id propè videretur. En triginta totos annos in solitudine Nazarethana ponit! En quadraginta iterum dies integros in deserto solus cum bestiis degit! & ex tribus annis qui supersunt ad docendum & vivendum cum hominibus, quam frequenter sese à cœtu & turbis segregabit! Quam sæpè solus in montes secedet, sive oraturus patrem, sive tantum ab omni humano consortio quieturus!

Quid est Domine Jesu? Quid ita moraris loqui & prædicare? Cur non ab ipso primo Nativitatis die thesauros sapientie absconditos aperuisti? Cur non saltem duodecim cum primum apparere & loqui cœpisti? aut certe cum adolescentiæ meras exceffisti? Cur te ita contines? Cur mundum tam diu tuo privas sermone, tuo congressu deservis? Ah qualem oportet esse causam tui silentij & solitudinis, cum tam multæ viderentur esse rationes tuæ manifestationis, ac humanæ conversationis; Sed sic oportebat me erudiri tuo silentio, sic me doceri tua solitudine, ut timerem apparere inter homines, ut vererem loqui; ac denique ut discerem quod ille pius expressit Author, qui dixit, *Nemo secure apparet aut loquitur, nisi qui libenter latet & tacet.*

Hoc est modò perpendendum, & exemplo Christi jungenda est Ratio qua id declaratur, & quæ tota fundatur in præcavendis illis periculis imminentibus & gravissimis damnis, quæ nobis impendent à lingua & à conversatione. Hoc est enim securi è apparere & securi è loqui, quasi unum & idem quod tutum esse ab his damnis, à quibus si nemo tutus est & contra præmunitus, nemo securi è apparere aut loquitur, sicut nemo se hosti aut bello securi è exponit nisi armis instructus; cum alioquin ut ait Sapiens, *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Est autem duplex genus periculi seu damni ex humana conversatione impendentis, nempe à nobis, & ab aliis loquentibus. Cavendum est oratori & auri; de quo duplici periculo sic aperte & graviter Scriptura nos præmonet, *Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas.* MORS & vita in manu lingua. *SICUT turbs patens & absque murorum ambuiu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Denique cum his similibus abundant sacræ pagina, vel ex uno Ecclesiastici loco, quæ alia reticentur, facile possunt intelligi: *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem lingua comminuit ossa. Mulier ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interiorum per linguam suam, legum illius, jugum ferreum est, & vinculum illius, vinculum areum est. Mors illius mors nequissima, & veslu potius infernus quam illa: qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illu & non extinguetur, & immittetur, in illos quasi leos, & quasi pardus laedet illos. Sepi amestuas spinus, linguam nequam noli audire, & ori tuo festo ossia & seras, Aurum tuum & argentum tuum constat, & verbu tuu facito stateram, & seranos oru tuo rectos, & attende ne forte labaru in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

Videsne damna? videsne pericula? videsne te ipsum ibi periclitantem; videsne quam nemo secure loquitur, nisi qui se tutum ab illis damnis & securum facit? Certe si non vides, tamen est tibi periculosus?

II. PUNCTUM

SED nemo ab illis damnis & periculis bene tutus est, nisi qui libenter latet & tacet.

Certum est quod quamdiu quis latet, securus & tutus est, sed quia loquendum est, & conversandum inter homines, is dicitur cum divina gratia magis tutus ab illis damnis & periculis qui

Eccles. 17.

Prov. 18.

1b. 25.

Eccles. 20.

Prov. 8.

Eccles. 3.

qui libenter latet & tacet: Primò, quia non se exponit periculo, sicut alius qui propensus est ad loquendum. Non nisi ex necessitate, vel charitate, aut alia legitima causa impellente, apparet & loquitur, qua in occasione credibilis est Deum magis illi affuturum ne labatur, aut ne periclitetur, quam alteri qui se periculo exponeret. Cum enim ut ait S. Jacobus, *Linguam nullus hominum domare possit, inquietum malum, plenam veneno mortifero*, plane opus est singulari Dei auxilio, quod sicut non deest in necessitate loquendi, sic ext à necessitate, quis sibi ausit promittere? quis hoc præsumere? quid? tibi ut nugas agenti adsit Deus? tibi ut otiosa, ut ludicra, curiosa, mundana, & vana pertractanti, sic auxilietur Deus sicut si religiose, si non nisi necessariò, non nisi ex ratione & debito muneris, seu officij tui: non nisi ex obedientia & charitate loquereris? Cave id præsumas, ne similem tui facias Deum, & blasphemus. Audi enim ut loquitur, *Ostium abundavit malitia; & lingua tua concinnabat dolos; sedens adversus fratrem loquebaris, & adversus filium matris tue ponebas scandalum. Existimasti iniquè quod ero tui similis, arguam te, & statuum contra iem tuam.*

Deinde verò cum divinæ Gratiæ sit cooperandum ex parte nostra, quis potest certius dici eam illa cooperari ad loquendum quam qui minus propensus est ut loquatur, sine illa invocata, sine illa obtenta? *Pone Domine custodiam ori meo, & ositium circumstantia labiis meis.* Hoc dicit omnis qui libenter tacet; At vero alius, *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Id est, re ipsa sic se gerit quasi hoc diceret, nullam habet rationem necessitatis gratiæ, nullam curam aut cogitationem Dei adjuvantis, ne forte nimis constringatur, & minus liber sit ad loquendum. *Labia dolosa in corde & corde loquuti sunt; disperdat Dominus universa labia dolosa; qui dicunt, labia nostra à nobis sunt.*

Denique, quantumcunque etiam divinam opem implorasses, nisi sis in loquendo consideratus & attentus, vix te à periculis & damnis redimes; at verò nisi libenter taceas, libido loquendi opposita, omnem attentionem & considerationem plane exhaurit; & illud tandem accidit quod sapius Scriptura monet, *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correctio.* Cum è contrà, *Qui odit loquacitatem, exinguit malitiam.* Tota malitia est in illa profusione loquendi, quam nemo coarctat nisi qui libenter latet & tacet, ac proinde

nemo alius tutus ab illis damnis, quæ in loquendo incurruntur. Nonne id toties experius & confessus es? Iterumne oportet te in pericula & detrimenta conicere, ut scias damno tuo esse pericula? Satius esset scire alieno, & sapere.

III. PUNCTUM.

NEMO igitur secure apparet, nisi qui libenter latet: Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet: Nam nemo secure apparet aut loquitur, nisi qui tutus est ab illis damnis quæ à lingua importantur: Nemo autem securus est nisi qui libenter tacet & latet. Sic apte Rex Propheta, *Pf. 54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebra, & dixi, qui dabit mihi pennas sicut columba, & volabo & requiescam? Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Est solitudo non modò corporis, sed etiam cordis de qua præclare sanctus Gregorius, ad illa verba Job: *Cum Regibus & Consulibus terra qui edificant sibi solitudines; Rursumque ad ista Domini, in eodem libro, Cui dedi in solitudine domum.* Hanc utramque solitudinem paucis videtur comprehendisse Sapiens cum dixit; *In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens; In medio magnatorum non præsumas, Et post pauca; Præcurre prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictu, & verbo superbo.*

Mirum quod dixit Seneca, *Quoties in ser homines sui, minor homo redij;* sed magis mirum, quod hoc testimonium tanti facit divinus author libri de Imitatione Christi, ut hoc unum & alterum ex Paganis referat. Vide libri primi caput vigesimum, & vigesimum primum, ex quo illud est aureum & divinum, *Quando homo est perfectè compunctus, tunc gravu & amarus est ei totus mundus.* Tu fortè nianus effusus es; & nimis timenda tibi hæc maledictio: *effusus es sicut aqua, non crescas.* Hæc tibi esset apta compunctionis materia.

Vide Verbo *Recollectio. Silentium. Lingua. Conversatio.*

2ac. 3.

Pf. 49.

Pf. 140.

Pf. 11.

Ibid.

Prov. 29.

Ecl. 19.

Pf. 54.

Job. 3.

Ibid. 39.

Ecl. 32.

Gen. 45.

* *

R 2

DIB

DIE XV. IANVARIJ, NISI SIT DOMINICA.

DE TENTATIONIBVS DOMINI.

Erat in deserto, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana. Mar. 1. Math. & Luc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Nemo periculosè magis tentatur, quàm qui se non putat tentatum.

RATIO EST, Quia cum totum tentationis periculum sit in consensu prabendo, nemo periculose magis tentatur, quàm qui magis periclitatur consentire tentationi.

Sed nemo magis periclitatur consentire, quàm qui se non putat tentatum.

Ergo nemo alius periculose magis tentatur. Ac proinde prospectandum unicuique suum periculum, & deponenda illa vana presumptio, qua quis se non putat tentatum, nisi forte cum sensu graviores molestias.

I. PUNCTUM.

CONSIDERANTE attentius quæ in Evangelio habentur de tribus Domini tentationibus, duo quædam occurrunt ex æquo mira Primum est, audacia Tentatoris, qui non vereatur aggredi Dominum Jesum. Alterum est Bonitas seu facilitas ipsius Domini, qui non modò patienter audiat Tentatorem, eiquè respondeat: sed & patiatur se ab eo tangi, se ab eo portari & transferri de monte in montem; atquè etiam quod horrendum est dictu, se sollicitari ad ipsum adorandum? *Hæc omnia, inquit, tibi dabo, si cadens adoraveris me.*

Math. 4.

1. Pet. 5.

O quis se tutum à tentatione audebit dicere, cum ipse Dominus se permittat tentari, ut omnes intelligant, quam sit sibi cavendum ab hoc adversario, *Qui tanquam leo rugiens circumit querens quem devoret.* Et tamen quàm pauci propterea sibi attendunt & vigilant! Imò quàm multise tentari non putant, quasi id iam solis Religiosis aut Novitiis relictum esset opus. Itanè vero non tententur? Imò illi maxime omnium & periculosissimi tentantur, qui se non putant tentari. Quod certe est considerationis dignissimum,

& ad vigilantiam nostram excitandam imprimis scitu necessarium. Sic autem facile declaratur: Nam cum tentationis periculum & damnum in hoc uno versetur, si tentationi consentias; profectò illi dicendi sunt periculosius tentari qui evidentiùs periclitatur consentire; seu qui evidentiùs vivunt in periculo consentiendi motibus cuiuscunque tentationis. *Vigilate & orate, Math. 26, inquit Dominus, ut non intretis in tentationem, Ibid. 6.* *NON nò tentamini, sed nò tentatione superemini,* ait sanctus Hieronymus. Et cum petimus à Deo nò nos inducat in tentationem, *Non petimus,* inquit S. Augustinus, *ut non tentemur, nemo enim sine tentatione probatur, sed ne inferamur in tentationem.* Id est, ne succumbamus, neve illi consentiamus; in quo consensu totum est periculum, totum est damnum. *Illamina Domine oculos meos ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, pravalui adversus eum.* O quoties jam id dixit!

P. 12.

II. PUNCTUM.

SED nemo magis periclitatur sic tentationi succumbere, quàm qui se non putat tentatum.

Nam cum reverà tentetur, ut paulò post demonstrabitur, si non resistat tentationi, nonnè illi cedet & consentiet? At quomodò illi resistet, si se non putat tentatum? Quomodò quis adversarium repellat, aut eum illo configet, si non putat se habere adversarium, aut sibi cum eo esse conflegendum? Nonne ergo succumbit? nonne saltem versatur in evidenti periculo succumbendi? Nee dicas de monem non videri, nec temper percipi quando nò nos expugnet & tentet, ac proinde non esse mirum nec capitale; sed potius excusandum si succumbamus, Id enim ad excusationem dici non potest, eum nemo legitime possit ignorare, quod est in religione Christiana notissimum; imò & ipsis Paganis non ignotum, nullum esse hominem qui quamdiu vivit, non tentetur; Nam ut ait beatus Job, *Militia est, seu ut Septuaginta vertunt, Tentatio est vita hominis sapientis*

Iob. 7.
lib. 8. Mor.
c. 4.

super terram. Tentatio ipsa militia est, inquit S. Gregorius, quia contra malignorum spirituum insidias vigilat, ut bellorum prociat: et oculi dubio exulat. Ipsa autem hominis vita tentatio est, cui ex semetipso nascitur, unde perimatur. Quae etsi semper ex virtute succidit quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Humana vita tentatio est, ut etsi jam ab iniquitatis perpetrations comescitur in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suae interruptione suscipitur.

Apoc. 2.

Ephes. 6.

Sap. 14.

Iaco. 1.

Gal. 5.
Rom. 7.
Eccli. 17.

Lib. de
prof. mori.

Prov. 7.

Sunt quidem tempora, seu loca, aut negotia quibus graviores possint inesse tentationes, sed nunquam deest ille qui ubique & semper insidias ponit, qui iudicatus vocatur Diabolus & Sathanas, ut est in Apocalypsi, quod seducat universum orbem, per se, & per suos admittos, quos Apostolus vocat mundi Reitores tenebrarum harum, qui non dormitant, non fatigantur, non curantur, non expleantur. Accedit Mandus, seu obiecta quaevis extrinseca, de quibus Sapiens; Creatura Defacta sunt in odium, & in tentationem animabus hominum, & in musculam pedibus insipientium.

Et quando illa omnia externa deessent, Vnus qui quis tentatur à concupiscentia sua abstractus & illudius, ait sanctus Iacobus, unde sicut nemo vivit sine concupiscentia, sic nemo vivit sine tentatione. Hæc est caro semper concupiscens adversus spiritum, hæc lex carnis seu membrorum semper repugnans legi mentis nostræ. Quid nequis, ait Sapiens, quam quod excogitavit caro & sanguis? Quid porro cogitas, quid loqueris, aut quid aliud tractas quam quod caro & sanguis excogitant, nisi contra pugnes & resistas? Monerit, inquit Seneca, perpetuam tibi cum vitia imminere pugnam, cuius nulla sit per diem, nulla etiam per noctem relaxatio. Vix enim cessant ex cubiculis aut desunt voluptates quas se infestent. Plena his monitis sacra scriptura, pleni sunt Patrum Codices: sed homo Ethnicus fuit audiendus, ut Christianus se excusare non possit si nesciat quod ipso naturæ lumine satis est notum, & ipso communi sensu perpeccatum; Unde tandem id patet evidentissimè quod erat declarandum, de periculo in quo ille versatur qui se non putat tentatum, nempe cum minus advertat, facilius cedit tentationi & peribit: Quasi bos ductus ad victimam, inquit Sapiens, Et quasi agnus lascivius, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transigat agilia jecur eius: velut si a-

vu festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur. Idemque postea luculentè; Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa, & eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo, dices, Verberaverunt me sed non dolui, traxerunt me & ego non sensi. Nonne hoc est periclitari? Nonne hoc est periculum tuum?

III. PUNCTUM.

NEMO igitur periculosè magis tentatur, quam qui se non putat tentatum; Quia totum tentationis periculum in eo est ut quis tentationi consentiat, nemo autem evidentius in eo versatur periculo quam ille miser qui revera tentatur sicut alij homines. & tamen præter alios seputat non tentari; Sic enim non resistit, non repugnat, non contradicit, ac proinde sic succumbit, & perit. O quam multi tales de quibus graviter sanctus Petrus; Hi velut irrationabilia perora naturaliter in captivum & in perniciem in hu qua ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt percipientes mercedem iniustitiae, voluptatem existimantes dici delicias; Quasi diceret, quod nos Christiani vocamus tentationem & pericula, illi voluntariè ignorantes, & velut blasphemantes, vocant suas voluptates & delicias: in quibus quantum magis acquiescunt, tanto facilius pereunt. Hi sunt qui cum volunt divites fieri, incidunt in tentationem, inquit Apostolus, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, qua mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & infererunt se doloribus multis. Quid clarius ad periculum indicandum? quid manifestius ad perditionem totius penè universi declaranda? Non enim dicit, qui sunt divites, aut qui divitiis abutuntur, sed tantum qui volunt divites fieri; Nam illa voluntas & cupiditas est occulta teneatio quæ nullus se putat tentatum, & quæ nullus se putat tentatum, & quæ tamen omnes tentantur & pereunt, sicut omnes volunt divites fieri; Quis enim est in sæculo & forte etiam in Monasterio qui non velit esse dives? Quis tamen propterea se tentatum putat, aut in periculo; cum potius ut se à periculis & miseriis huius vitæ eripiat, vult esse ditior.

Hinc vero est propterea, inquit Apostolus, hinc est tentatio & laqueus diaboli, quod non se putent tentari. Hinc ille est interitus & perditio in qua ignari merguntur qui volunt divites fieri, & qui uno verbo cupiditatem appetunt, sive quæ

Ibid. 23.

2. Petr. 2.

1. Tim. 6.

in divitias, si ve quæ in vanum honorem, aut voluptatem pertrahit. Unde idem Apostolus consequenter pergens, *Tu autem, o homo Dei, hac fuge, sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam: Quasi diceret, persuade tibi te in continuo versari certamine ac discrimine, nisi certes & pugnes in te ipso contra te ipsum! Et quoties de virtute exercenda contra vitium aliquod agitur, sic certa fideliter, quasi de fide ageretur, aut de æterna vita,*

In omnibus, inquit, sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumere. Quid ageres ubi de summa fidei & salutis ageretur? hoc ipsum age in quavis occasione virtutis exercendæ. In hoc erras quod in iis quæ videntur parva, parum certes: & nisi evidens cernatur periculum, non te putas periclitari. Adverte diligenter. Vigilantes in omni instantia,

Vide Verbo Tentatio, Damon, Pugna, Fortitudo.

DIE XVI. IANVARIJ. NISI SIT DOMINICA.

AD HÆC S. IOANNIS BAPTISTÆ DE CHRISTO DOMINO, VERBA.

Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi. Ioan. I.

VERITAS PRACTICA.

In iuriosum est Christo, Agno Dei, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illatam ferre.

RATIO EST, Quia iuriosum est Christo Agno Dei, velle esse mansuetum alia mansuetudine ab ea quam docuit.

Sed nulli quidem velle inferre injuriam, nolle autem illam ferre, hoc est velle esse mansuetum alia mansuetudine ab ea quam docuit ille Agnus docuit.

Ergo illi iuriosum est, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illam ferre; ac proinde dicendum pari lege non inferendas & suscipiendas esse injurias.

I. PUNCTUM.

TRANSACTIS in deserto quadraginta diebus & noctibus, rejectoque à se Tentatore, Dominus rediit ad suum Præcursorem & Præconem S. Joannem Baptistam, qui statim atque illum vidit ad se venientem, Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, Hic est de quo dixi, post me venit Vir qui ante me factus est, quia prior me erat; Multaq; alia in illius commendationem & præconiū populo qui frequens aderat, evulgavit. O quanta loquendi materia, & audiendi utilitas!

Iterum verò, Altera die, inquit Idem Evangelista, stabat Ioannes, & ex discipulis ejus duo, & respiciens seipsum ambulantiem dixit, Ecce Agnus Dei.

Nempè ille singulariter, ait S. Augustinus, qui conceptus est sine macula, qui figuratus est in agno quod idè immolato, & qui se semel immolare Deo debet, ut tollat omne mundi peccatum. Addit Beda: Ecce Agnus, qui velle dedit ex quo vestem nuptialem facere possimus, id est, exempla vivendi quibus in dilectione caeteremur.

Et sicut Agno maximè proprium est mansuetum esse ea mansuetudine qua nullum non modo lædit, sed etiam lædentibus non resistit; sic planè Christus Dominus inter exempla vitæ, hoc præcipuè nobis dedit & proposuit, quod imitando sequeremur. Hinc illa Veritas, quæ modo consideranda exhibetur, & quæ tam efficaciter perfectam illam mansuetudinem nobis commēdat, ut nisi eam obiceremus, iuriosum id Agno Dei, seu Christo Domino reputemus.

Ratio hæc afferitur valde consideranda, quod iuriosum Christo sit velle esse mansuetum alia mansuetudine ab ea quam docuit. Cum enim ille, Deo Patre sic ordinante, se Doctorem & Ducem nostrum fecerit, qui verbo & exemplo virtutes omnes edoceret quæ formæ nobis essent exercendæ; Nonne id illi manifestè iuriosum est, si neglecta illa forma, et aliam quæras & præferas, quasi ille nesciverit quid tibi expediret, aut quasi tu contemnas quod ille probè novit tibi magis expedire? Ecce, inquit ipse Deus, testem populo dedit, ducem & præceptorem Gentibus. Et ibi sunt populi multi & dicunt, venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semita ejus.

16. 27. *oju.* Tu verò contrà ex his eris, *Qui dixerit Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus;* Et non putabis hoc injuriosum illi esse?

1. Cor. 3. *Quàm longè aliter ille sentit, qui scripsit, Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & Redemptio;* Quæ quatuor ab Apostolo commemorata, S. Bernardus refert ad quatuor Cardinales Virtutes, quarum forma & exemplar Christianis Christus est, sicque concludit; *In casum proinde qui laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum, sujus doctrina seminarium prudentia, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantia, cuius mors insigne est fortitudinis.*

Serm. 22. in Cant. *Sic S. Augustinus; illam, inquit, virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne. Omnium virtutum nostrarum longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma.* Expende hæc postrema verba, hinc enim liquet apertius quanta Christo fiat injuria: Nam si vel alia virtus, si alia mansuetudo ab ea quam Christus docuit, vera esse possit, non esset tamen illi præferenda, quam Dominus & magister noster nos docuit; quânto longè minus, si nulla est vera, præter eam quam ipse docuit? Et quânto longè magis injuriosum illi est falsam aliorum virtutum malle, quam illius veram, si vel aliorum veram malle non posses, sine illius injuria? Responde, aut acquiesce.

1. 6. contra Iul. *Sic S. Augustinus; illam, inquit, virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne. Omnium virtutum nostrarum longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma.* Expende hæc postrema verba, hinc enim liquet apertius quanta Christo fiat injuria: Nam si vel alia virtus, si alia mansuetudo ab ea quam Christus docuit, vera esse possit, non esset tamen illi præferenda, quam Dominus & magister noster nos docuit; quânto longè minus, si nulla est vera, præter eam quam ipse docuit? Et quânto longè magis injuriosum illi est falsam aliorum virtutum malle, quam illius veram, si vel aliorum veram malle non posses, sine illius injuria? Responde, aut acquiesce.

II. PUNCTUM.

SED nulli quidem velle inferre injuriam, nolle autem illatam ferri, hoc est velle esse mansuetum aliam mansuetudine ab ea quam Christus docuit

Distinguenda duplex quædam mansuetudo, nempe una est quæ nulli nocet, nullum vero aut factio lædit; sed non ultrà progreditur, non illatam suffert injuriam. Et hæc quidem mansuetudo communis est omnibus hominibus, sive Judæis, sive Ethnicis, cum in ipsa naturæ lege sit expressa, qua nulli licet facere, quod nobis nolumus fieri. *Hæc est enim Lex & Prophetæ,* inquit Dominus, id est, hoc omnes docent, qui aliquid docent. **A**LTERA vero mansuetudo est quæ non modo nulli inferre ullam injuriam, sed à quocunque illatam patienter suffert: Quæ quidem virtus maximè est propria Christo & Christianis sic enim de illo Ihasias antequam pateretur, *Sicut ovium ad occisionem ducitur, & quasi Agnus coram tondente se, obmutescit.* Sic postquam passus est, *Cum maledicaretur, inquit S. Petrus, non maledi-*

Matth. 7.

1. 135.

1. Pet. 2.

cebat: cum pateretur, non comminabatur; Sic ipse Dominus in suo illo celebri sermone in monte, palam & præcipuè hoc professus est, atq; in hoc penè uno, suam legem & doctrinam definiivit. *Audistis, inquit, quia dictum est, oculus pro oculo & dente pro dente. Ego autem dico vobis, non resistite malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Vobis dico qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.*

Matth. 5. Luc. 6.

Vide quæ plura habentur Matthæi 5. & Luca: 6. quibus adijunge quod Apostolus conformiter docet, *Benedicite persecutibus vos, benedicite & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes. Non vos ipsos defendentes Carissimi, sed date locum ira, Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitis, potum da illi. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Itemque alibi: patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est sectantes in invicem, & in omnes. Hoc ipsum penè totidem verbis S. Petrus *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Sed à contrario, benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis.**

Rom. 12.

1. Thess. 5.

1. Pet. 3.

Ex quibus manifestè vides, qualis ea sit mansuetudo quam Christus docuit, & quam longè ab ea sis, nisi patienter feras injurias. Esto sis ita mansuetus ut nullas inferas, non est ea Mansuetudo Christianæ legis, sed Mosaicæ & naturalis, quâ tu si sola contentus es, quid tibi Christus proderit?

III. PUNCTUM.

INJURIOSVM est igitur Agno Dei seu Christo Domino si nulli quidem velle inferre injuriam nolis tamen illatam ferri. Quia vis quidem esse mansuetus nullis inferendo injuriam, sed non vis esse mansuetus ea mansuetudine quam Christus docuit, dum illatam injuriam non vis suffere. Quod illi non minus injuriosum est quam si legem & doctrinam ejus negligeres, aut minus aestimares quàm quod aliæ docent leges. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hic autem nescimus unde sit.* Velles ne sic loqui cum Judæis? At nescire in praxi ejus doctrinam, seu perinde illam negligere quasi nescires, aut quasi non probares, quid putas esse aliud quàm ipsum nescire unde sit, an è cælo an è terra; an verè aut falso dixerit? Nam si verè dixit, cur non credis? cur non profiteris? *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Dices id esse difficilius quam possis ferre.

Joan. 9.

ibid. 8.

Serm. 5. de
Sanctis.

ferre. Sed nonne sic pergis injuriam Christo facere, quasi ille duriora aut impossibilia iufferit, quasi denegat gratiam, quasi gratia non sit latius potens adimplendo mandato, aut quasi non sit satis dignus Christus cui serviendo parum laboramus? Audi S. Augustinum. Et vide quid hic corrigas, quid emendes: *Convincimur certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus injuriam sustinere. Si nobis aliqua potens persona injuriam facit, si nos etiam in faciem ma-*

ledicit, nec respondere aliquid asperum, non dicam, vicem reddere ausi sumus. Quare hoc? Ne ab illa potens persona, adhuc majora quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis torquet hominis timor, deberet à nobis exigere Dei amor. Aut si minus in te valet Divinus Amor, huic adijunge timorem, & expavesce ad hæc S. Jacobi verba: *Vnus est Legulator & Iudex qui potest perdere & liberare.* Vide Verbo, *Manjuetudo.*

Iac. 4.

DIE XVII IANUARIJ,
NISI SIT DOMINICA,
AD HÆC PRIMORVM CHRISTI,
DOMINI DISCIPULORVM, VERBA.

Magister, ubi habitas? Dicit eis, venite & videte. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Qui dicit se in Ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. 1. Ep. Ioan. c. 2.

RATIO EST, Quia qui dicit se in Christo manere debet, ut verum dicat, verè cum ipso consentire. Sed nisi ambulet sicut ille ambulavit, non verè cum ipso consentiet.

Ergo debet si ut Ille ambulavit, & ipse ambulare. Quod tamen pauci recogitant.

I. PUNCTUM.

LOQUENTEM de Christo Domino, S. Joannem Baptistam cum audirent duo Discipuli; *Secuti sunt Iesum,* ait Evangelista, *Conversus autem Iesus, & videns eos sequentes, dicit eis, quid queritis? Qui dixerunt ei, Rabbi, quod est interpretatum Magister, ubi habitas? Dicit eis, venite & videte. Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud illum manserunt die illo.*

Hi sunt primi Jesu Discipuli, qui prius erant Joannis: hi sunt qui primi cum illo manserunt, nondum quidem inseparabiliter, sed ad tempus, ad unam diem & noctem, quam in mutuis ultro citroque habitis sermonibus cum ipso transegerunt. Quam beatum diem duxerunt! quam beatam noctem! quis est, qui nobis dicat quid audierint illi à Domino? *adificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum quo veniat ille, & doceat*

Ioan. 1.

Tract. 7. in
Ioan.

nos, & colligatur nobis. Sic apud S. Augustinum, unde ad Veritatem practicam modò considerandam, proposita est illa Divina Sententia S. Joannis Evangelistæ, *Quod, Qui dicit se in Ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Est autem unum & idem, nos in Christo manere & Christum in nobis, cum unum ex altero sequatur, sicut ipse dicit, *In me manet, & ego in illo. Manet in me, & ego in vobis.* Sed quid cum mansione ambulatio? sicut manens cum Christo ambulandum, sicut ille ambulavit?

Io. 6. & 15.

Ratio est facilis & valdè familiaris, quod simul cohabitantes, sicut & simul peregrinantes, hoc imprimis est commendatissimum, ut benè inter se conveniant & concordent: Unde apud Prophetam, *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerint eis?* Et Sapiens de iis quibuscunq; est difficile convenire, *Noli, inquit, esse amicus homini tracundo. NE comedas cum homine in vido, MELIUS est se acere in angulo domatù,* id est sub dio & incommodè, quam cum muliere litigiosa & in domo communi; Ubi scilicet multi strepitus multæ lites & contentiones nihil enim ad habitationem & convectam accommodatius & desiderabilius, quam mutua simul habitantium, concordia; proindeque tanquam munus & donum præcipuum quod à Deo hominibus concedatur, ita canit Regius Psaltes, *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unus moris in domo.*

Amor. 3.
Prov. 22.Ibid. 23.
Ibid. 25.

Ps. 67.

Quod cum universim verum sit de his omnibus qui simul conviunt, quanto magis de nostra cum Christo mansione, de quo præcipue dicitur,

Psal. cietur, In pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion: *Luc. 10.* Ibi confregit potentius arcuum, scutum, gladium & bellum. Illudque erat quod à suis, domum aliquā intrantibus, vellet ante omnia dici, Primum, inquit, dicitis, Pax huic domui; Quod quidem dictum illi tam familiare erat, ut hac ejus pronuntiatione tanquam certissima sui nota, se cognoscendum præberet Apostolis, dum resurgens primum illis apparuit, Pax, inquit, vobis; iterumque confirmandis in sui notitiam eorum animis, Pax vobis. Denique quid ad rem nostram apertius quam quod ipse suis jam dixerat, Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Hæc non modo qua dicit, inquit S. Augustinus, sed quæcunque illi locutus est, ex quo eos capis habere discipulos, eo scilicet omnia spectant, ut non obstante quolibet adverso casu, pacem & concordiam cum ipso servent. Nonne id æquum? Ah Domine Jesu, quis tecum nollet convenire? aut quis tecum dissentiens præsumeret tecum habitare? Fili, pauci tamen tecum conveniunt; & multi tecum esse putant, qui longe disjuncti sunt.

II. PUNCTUM.

SED nisi quis ambulet sicut ille ambulavit, non verè cum ipso conveniet.

Hæc enim sunt velut Synonyma, id est, unum & idem significantia, Ambulare sicut ille, & convenire cum illo; Nam hoc unum hæc duo significant, vitam instituere, conformem ejus præceptis & exemplis, quantum uniuscujusque vocatio & vitæ degendæ ratio exigit, unde toties in scripturis quod dicitur, Ambulare in lege, in præceptis, & in via Domini, perinde est ac si diceretur vivere conformiter legi divinæ, atque uniformiter cum Deo convenire, sicque evidentius patet quàm ut probari fufus sit necesse, quod qui non ambulet sicut Christus, non cum eo conveniat, nam hoc ipso quo aliter ambulat, aliter vivit; vivendo autem aliter, vita dissentit; vita denique dissentiendo, dissentit iudicio & voluntate, quod est planè non convenire. *Sap. 2.* Gravus est nobis ad videndum, dicunt impii, quoniam dissimili est alii vita illius, & immutata sunt via ejus. Tanquam nugaces estimati sumus ab illo, & abstinet se à viâ nostrâ tanquam ab immunditiâ; Quasi diceret, cum simili via non ambulemus, Imo cum dissimilem agamus vitam, non possumus simul convenire; Tam dissentimus animis quàm moribus.

Unde & ipse Dominus suis Galilæis, mundana sapiētibus, Non potest, inquit, mundus vos discipulos habere nisi prius,

se, me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quod operâ ejus mala sunt. Id est, idcirco non convenit tecum mundus, quia nec tecum non ambulat: idcirco mihi adversatur, quia mea illi est adversaria vita, cui suam cum nolit conformare vitam, nec tecum proinde convenit, imo tecum dissentit, & me odit. Nam qui non est tecum contra me est, & qui non colligit tecum, dispergit. Itanè mundus odit Christum, & sim ego de mundo! Ah mi Jesu, vel de mundo me tolle! vel mundum tolle à me.

III. PUNCTUM.

QUæ ergo dicit se in Ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare; Nam nisi ambulet sicut ille, non conveniet cum illo; & nisi cum illo conveniat, non in ipso manebit. Sicut *1. Ioan. 2.* docuit vos, manete in eo, inquit dilectus Discipulus; At vide quomodo docuerit esse manendum in se, vide quantum ex hac mansione, fructus emanet, & quantum detrimētū sequatur, nisi constanter in eo maneris. Sicut palmet, inquit, non *Ioan. 15.* potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi me manseritis. Ego sum vita, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potest facere. Si qui in me non manserit, mittetur foras, sicut palmet, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petitis, & fiet vobis.

Quid magis timendum palmiti, quàm si comburatur? At comburetur si à vite excidatur: Excideret verò si nullum fructum ferat; Nullum autem fructum feret, si non in vite manserit: Nec in vite porro manebit, nisi eodem veluti succo nutriatur. Sic planè tecum discurre: si à Christo dividaris, peristi: Divideris autem nisi constanter in eo maneas: At in Ipso non manebis, nisi cum ipso convenias, & sicut ille ambulavit, ita tu ambules. Nonne ergo est ita ambulandum? Vis ne ab ipso dividi? vis perire? O miseriam perituri, si dividatur à Christo animus! sed o felicem necessitatem non dividendi à Christo animi, quod alioquin pereas! Neque hic alia modo perditio quærenda est quàm ipsa divisio animi à Christo suo, cum Christum perdere, sit perire; nec ulla, Christo perduto, sit lætatura gravior, sicut nihil est Christo pretiosius, non sanitas, non humana vita, non ipsa æterna beatitudo.

Restat hic expendere accurate cum Apostolo:

Rom. 8.

Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, & quæ plura proponit, Fortè vel unus aura mundane flatus: unus mundi ru-

musculus; Attende tibi. Et vide Dominicam 3. Quad. Verbo item Christus, Mand. in Con-empse.

DIE XVIII. IANVARIJ.

NISI SIT DOMINICA.

DE CHRISTO DOMINO COMMUNICATO
SEU DE CONVOCATIS ALIIS AD
IPSUM DISCIPULIS.

Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christum. Invenimus Iesum, Filium Ioseph à Nazareth. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nemo magis sibi Christum servat, quàm qui minus sibi soli servat.

Vel à contrariis.

Nemo minus sibi Christum servat, quàm qui magis sibi soli servat.

RATIO EST. Quia nemo magis aut minus sibi Christum servat, quàm qui magis aut minus Christum diligit.

Sed qui minus sibi soli servat, magis Christum diligit: aut è contra minus eum diligit qui magis eum sibi soli servat.

Ergo nemo magis aut minus sibi Christum servat, quàm qui magis aut minus sibi soli servat. Ac proinde quanto quis magis illum sibi servare velit, tanto magis communi- et aliis, nec sibi soli servat.

I. PUNCTUM.

Ioan. 1.

ERAT autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant à Ioanne, & facti fuerant Iesum. Invenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei, Invenimus Messiam; & adduxit eum ad Iesum. Invenit autem eum Iesus dixit, Tu es Simon, Filius Ionæ: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum; Et dicit ei Iesus, sequere me. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei, quem scripsit Moyses in Legge, & Propheta, invenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth. Veni & vide.

Multa hic expendi possent, ut, quid sit modò invenisse Christum: qualis thesaurus; qualis cura conservandus, & quali studio, alius communicandus. Sed hoc imprimis observandum est, ex his viris qui primi commemorantur cognovisse Christum, solos illos duos fuisse Apostolos, qui in verbum & cognitum aliis communicarunt, nempe

Andream & Philippum, quorum ille frater suum Simonem Petrum, hic autem Nathanaelem ad Dominum Iesum adduxerunt. De socio Andream & de ipso Nathanaele quid factum fuerit, non narratur; Hoc nempe est quod ex proposita Veritate nobis est modò considerandum attentius, Nemo magis sibi Christum servat, quàm qui minus sibi soli servat. Vel è contrario, Quia plerumque magis nos movent quæ aperta mala important, Nemo minus sibi Christum servat, quàm qui magis sibi soli servat.

Ratio quæ assertur est evidens, & utramque propositionem quæ Veritas enunciatur, comprehendit, quia scilicet nemo magis aut minus sibi Christum servat, quàm qui magis aut minus Christum diligit. Sicut enim dilectione generatur Christus, sic dilectione nutritur & conservatur. Nam quod de ceteris rebus dicitur, hoc etiã Christo convenit, ut quibus medus res aliqua sunt, usdem conserventur. Atque idcirco Christus Dominus, Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad sum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Quamdiu scilicet me diligit, & quamdiu sermonem meum servabit; Veniens ad nos, inquit S. Augustinus, dum venimus ad eos: veniunt subveniēdo, illuminando, implendo: venimus obediendo, intuituendo, capiēdo. In quorundam etenim corda venit, ait S. Gregorius, & mansionem non facit, quia per compunctionem quidem, Des respectum parci-piant, sed tentationis tempore, hoc ipsum quod compuncti fuerant, obliviscuntur, sicq; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè placuissent. Qui ergo verè Deum diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde Dominus venit, & mansionem facit, quia sic eum Divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore, tentationis tempore non recedat.

Dei-

Ioan. 14.

Tract. in Ioan.

Hom. 36. in Evang.

Ep. 3. ad
Soverum.

Denique quod sic per dilectionem nascatur & crescat Christus in nobis, apud S. Paulinus; *Qui sicut in illo ipso homine, quem gessit, ita in nostris membris, gradus quosdam corporeæ atque exequitur, nascitur, crescit, roboratur, sentit. O felicem illum in cuius mente sic Christus nascitur; ac longè feliciorum illum, in quo natus sic crescit & roboratur Christus!*

II. PUNCTUM.

SED qui magis aut minus sibi soli Christum servat, magis aut minus illum diligit.

Id est, qui de Christo Domino ad aliorum ædificationem cumulata loqui posset; nec tamen loquitur, aut nisi parum & frigide, hic certè indicat se tam minus Christum diligere, quàm minus ardentè & frequenter de illo loquitur. *Ex abundantia enim cordis, os loquitur, & bonus homo de bono thesauro profert bona.* Talis ille Apollo de quo sic in Actis Apostolorum scribitur, *Hic erat doctus viam Domini, & fervens spiritu, loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu.*

Quis enim nescit zelum & fervorem spectare ad Charitatem? At verò in quo zelus & fervor magis exerceri possunt, quàm in Christo Domino clarificando, sicut ipse à Patre petit, per suos aliquando futurum: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Jam verò sit aliquis qui horâ commodâ Christum clarificandi, se continet, conticescit, & sibi soli servat quod de Christo didicit, quodque opportune posset aliis communicare, retinet contra sapientis monitum, *Ne retineas verbum in tempore salutis.* An ille censendus est Christum diligere? *Va mihi quia tacui! Væ mihi si non evangelizavero! NON refacimus, inquit illi, hæc enim dies boni nuntij est, si tacuerimus & noluerimus nunciare, sceleris arguemur.*

Certè qui Christum ex corde diligit, cor suum tam angustum tali Dilectio diligendo sentit, ut omnium corda vellet habere, quibus eum diligeret, aut in omnium cordibus vellet Jesumingere, ut tantò magis diligeretur, quantò à pluribus diligeretur. Verum quia hæc extra suam potestatem videt, quod superest, ut in quibus comode potest Christum parere, pariat, nonne id enitetur? nonne in id tam vehementer intendet, quam vehementer Christum diligit? Et nonne sic etiam indicabit se tanti Christum facere & diligere, quanta erit contentio, quantus labor & zelus in eo communicando aliis, nec sibi soli servando?

Aperi mihi soror mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttu nocturno. Hæc dilectio ad dilectam, & ad sponsam sponsi verba esse, satis nosti, sed quænam sit illa dilecta & sponsa, quidve ab illa Sponsus velit, audis. Augustinum. *Aperi mihi de sanguine soror mea; de spiritu meo, columba mea; de sermone meo, quem plenus ex me didicisti, perfecta mea. Aperi mihi, prædica me, ad eos quippe qui clausæ sunt contra me. Quomodo intrabo sine aperiente? Hæc sunt Dilecti monita; hæc sunt dilectæ officia. An illa fideliter audis? An hæc constanter reddis?*

III. PUNCTUM.

NEMO igitur magis minusve sibi Christum servat, quam qui magis aut minus sibi soli servat. Nam cum præcipue dilectione servetur Christus, & in eo alius communicando, præfertim innotescat dilectio: tanto magis minusve tibi eum servabis, quantò magis minusve illum pro rei opportunitate communicabis, nec tibi soli servatum voles. *Quid enim, inquit Apostolus, dum omni modo si ve per occasionem, si ve per virtutem, Christus annuncietur. & in hoc gaudeo sed & gaudebo: scio enim quod hoc mihi proveniet ad salutem.* Perpende hæc Apostoli verba; si enim vel gaudenti quod Christus ex quavis occasione annuncietur, si uctiferum & salutare est; quanto magis annuncianti ex virtute, & ex illa virtute præcipua quæ est Dilectio? In alia sermone inandi materia quantum vis pia, posset esse periculum, & posset timeri excessus, ut supra visum est: sed ubi de Christo notificando agitur timere potius debet qui diligit, ne deficiat, quam ne excedat.

Et tamen tam rarus es, & parcus in his habendis cum proximo de Christo Jesu sermonibus! & quod peius est, te excusatum putas, quasi tibi aliquid inde sit perituum, nisi tibi soli serves! ò cæcitatem! ò fallaciam. Tantum abest ut aliquid tibi decedat & pereat, quin potius tanto magis augeatur cognitio, & amor, & possessio Christi, quanto magis illum communicaveris: aut tantò magis deperat quantò minus alios in participationem tanti boni vocaveris.

Theaurus ille est, de quo Sapiens: sine defæctione sanctorum, id est in quo exhauriendo nulla intervenit defectio, nulla jactura, nulla perditio. Vena est aquarum viventium, de qua Propheta: quæ eo largius & purius effluit, quo hauritur frequentius. Unde jam nihil est quò retarderis à loquendo; sed potius ingens & acre subministratur mo-

Cant. 5.

Tract. 27.
in Ioan.

Phil. 4.

Eccl. 30.

Ier. 17.

tivum communicandi aliis Christi, ex triplici scilicet Capite, quod est attentè perpendendum.

Primo quidem agitur Christi Domini honor & gloria, qui eo magis agnoscitur & elucidatur. Deinde proximi salus & perfectio sic manifeste promovetur. Ac denique redundat in nostrum particulare bonum, cum præter dicta, hoc insuper sibi laborantibus promittat Sapientia, *Qui operantur in me, non peccabunt: & qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Ecclesi. 24.

Sap. 7.

Hinc Sapientiam liberalis & profusus in sapientia sua communicanda, *Quam, inquit sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo; infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, partici-*

pes facti sunt amicitia Dei, propter disciplinam donò commendati. Nonne id verius de Christo dici posse? Cur non igitur tam libenter illum communicas? Latet profectò aliquid quod te retardat, & quod vix auderes agnoscere. Adcò probrosum est, & infandum. Aut te pudet, aut te tædet de JESU loqui, Res nimis vulgaris est, res nimis trita & obvia, res nimis gravis & importuna. Ecce unde avocaris, ecce unde obmutescis, ecce unde arguesis & confunderis te non Eum diligere, de quo sic pudet & tædet loqui.

Vide Feriam 4. infra Hebdomadam primam; Adventus, Feriam 5. infra Hebdomadam tertiam; nec non 31. Decembris, & alibi passim, Verbo *Christus, Zelus, Amor, Colloquia.*

DIE XIX. IANVARIJ.

NISI SIT DOMINICA.

AD HÆC CHRISTI DOMINI VERBA,
DE NATHANAËLE.

Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Ioan. I.

VERITAS PRACTICA.

Veras virtutes magis times, quàm amas.

RATIO EST, Quia vera virtutes ea sunt quæ divino potius quàm humano iudicio æstimantur. Sed has virtutes magis times, quàm amas. Ergo & veras virtutes; Quod certè est non minus probrosum quàm damnosum.

I. PUNCTUM.

Ioan. I.

VIDIT Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo; *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.* Dicit ei Nathanael, unde nosti? Respondit Iesus, & dixit ei, *præquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Respondit ei Nathanael, & ait: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.*

Mirum certe quod ex prima hac notione quam de Christo Nathanael habuit, cognovit & professus est Ipsum esse Filium Dei, & Regem Israël: Sed magis mirum quod cum iste Nathanael multis esset ornatus virtutibus, hac unatamen præcipue commendatur à Domino, quod esset verus Israelita, sine dolo, & malitia: id est, vir simplex & minime malus. Adcòne magna virtus, Simplicitas, ut cum aliæ non deessent plurimæ

à quibus Vir præstantissimus, commendaretur, tamen ab illa una, prætermisissis cæteris, celebratur? Quis hominum in magna laude poneret, se simplicem dici & haberi? An velles sic de te sentirent & loquerentur homines? Nonne potius id timeres? nonne potius inde erubesceres, & quasi de illato doleres probro?

Sic plane est, sic apparentes & speciosas quasdam virtutes satis diligis, quia sic vulgò æstimantur, sed veras & solidas magis times, quàm diligas. Quod quàm sit verum & damnosum, ac proinde attentius expendendum si forte dubitas, demonstrabit hæc ratio.

Illæ sunt veræ virtutes & solidæ, quæ divino potius quàm humano æstimantur iudicio; Nonne est ita? Cum enim de virtutibus sicut de cæteris rebus diversa Dei sint, & hominum iudicia certe quantum Dei iudicium, iudicio prævalet omnium hominum, & Angelorum, tantum eas oportet esse certiores & veriores virtutes, quæ divino iudicio tales proferentur. *Mendaces quippe filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de veritate in id ipsum; At verò iudicia Domini vera, justificata in semetipsa. Cognovi Domine quia æquitas iudicia tua. Sic conformiter Sapiens, pondus & statera, iudicia Domini sunt. Nonne id agnoscis, nonne id facis?*

II. PUN-

II. PUNCTUM.

ATQVI has virtutes quæ divino magis estimantur iudicio quàm humano, magis times quàm diligas.

Hæc nempe sunt inter alias, *Abjectio sui, Tolerantia injuriarum, Paupertatu amor, Simplicitas, & humilitas cordis*. Non hæc virtutes humano iudicio aut nullæ sunt, aut valde abjectæ, & infimorum tantum hominum? Nimis enim verum illud Jobi: *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum.* Quod egregiè ad rem nostram sic interpretatur Sanctus Gregorius; *Huius mundi sapientia, Id est virtus quæ æstimatur à mundo, hæc est, cor machinationibus regere, sensum verba velare, quæ falsa sunt, vera ostendere: quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Hac nimirum prudentia usu divitibus scitur, hæc à pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt, hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur. Et post pauca; *At contra sapientia iustorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verba aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quarere, pro veritate contumeliam, lucrum putare.* Sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus, fatuas creditur. Omne enim quod innocenter agitur ab eis procul dubio stultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientia fatuum sonat. Quid namquæ stultius videtur mundo quam mentem verba ostendere, nil callidæ machinatione simulare, nullas injuriæ contumelias reddere, pro maledicentibus orare, pauperatatem quarere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percussenti maxillam, alteram præbere? Unde bonè huius mundi dilectoribus ille egregius sapiens dicit, *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Oves quippe Aegyptij edere dedignantur, sed quod abominantur Aegyptij, hæc Israelitæ Deo offerunt: quia simplicitatem conscientiam quam iniusti qui que velut infimam abjectamque despicunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, & excolentes rectè puritatem & mansuetudinem Deo immolant quam abominantes reprobi fatuitatem putant, quæ nimirum iusti simplicitati breviter, sed sufficienter exprimitur, cum protinus subinfertur, lampas contempta apud cogitationes divitum.* Videri possent quæ fustus pergit, sed hæc sufficiant ex quibus satis aperte patet, quænam sint illæ Virtutes quæ divino

magis æstimantur iudicio quàm humano.

At verò, nonnè has virtutes magis times quam diligas? Nonnè magis times occasionem humilitatis & patientiæ exercendæ quàm illâ delecteris? Nonnè te æstimas miseriorem in paupertate, quàm beatum: & beatorem in divitiis quàm miserum & infelicem? Deniquè nonnè magis times videri simplex & candidus, ne forte iridearis ab hominibus, quàm simplicitate & candore animi gaudas, quæ sunt virtutes à Domino maximè commendatæ? Diligis enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei: Id est gloriam quæ ab hominibus venit, quàm quæ à Deo est. Quid hoc esse putas, nisi præferre iudicium hominis iudicio Dei; quasi homo de virtute melius sentiret, quàm ipse Deus! O intolerandam blasphemiam! Et tamen quæ ab omnibus universim toleratur!

Ioan. 12.

III. PUNCTUM.

ERGO veras Virtutes magis times, quàm amas; Nam dubitare non potes, quin eæ sint veræ virtutes quas Christus prædicat, licet mundus repugnet: Nequè te verò latet quantum timeas imo & horreas illas à Christo prædicatas virtutes, & beatitudines? Quid proinde sequitur nisi te, veris & solidis repudiatis virtutibus, nescio quas apparentes & speciosas diligere quas mundus probat, & quas alioquin non diligeres, nisi

2. Tim. 3.

mundus probaret? *Habentes speciem quidem pietatis: virtutem autem eius abnegantes.* O quanta inde damna, quanta pericula! sic enim sic ut cum nullas veras virtutes habeas, hoc ipsum tamen ignores, quia virtutem te putas habere, cuius habes tantum speciem & simulachrum. Scio operatua, inquit Dominus, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es: non enim invenio operam tuam plenam, coram Deo meo. Rursum què ibidem, *Quia dicitis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius ego. Et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Velle in hoc audire à Domino? Quid tibi tunc proderit exterior illa urbanitas, aut apparentia virtutum quam ex iudicio tantum assumis humano? Non enim qui seipsum commendat, aut qui ab humano commendatur deo, ille probatus est; sed quem Deus commendat. Et rectè sanctus Augustinus de eo qui humana magis quam divina spectet iudicia, *Hic licet laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur: Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab*

Apoc. 3.

1. Cor. 4.

2. Cor. 10.

In Medis.

Job. 12.

10. Mor. 27.

Exod. 8.

hominibus, iudicate te; nec liberatur, condemnante te. Nonne hoc ita modo sentis? At nonne te ipsa post contra senties, magis humana timendo iudicia ex vituperia, quam divina! gravius putando condemnari ab hominibus, quam à Deo

damnari! Respice ab hac infania, Et da locum *Ecclesi. 19.* timori Altissimi, quia omni sapientia timer Dei, & in illa timere Deum.

Vide infra Feriam 4. post Dominicam sextam Epiphaniæ & verbo *Iudicium. Virtutes dandum,*

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM

NISI sit Septuagesima. Quæ aliquando, licet rarius, in hanc Dominicam incidit. Frequentius autem in sequentes; cum vero relictis aliis, Ipsi Septuagesimæ adherendum.

DE AQUA IN VINUM MUTATA, A CHRISTO DOMINO, AD NUPTIAS INVITATO:

Implete hydrias aqua. Ioan. 2.

VERITAS PRACTICA.

Si vis quod non habes, da quod habes,

SENSVS & RATIO est, quod cum Deus in omnibus suis operibus Misericordiam simul, & Iustitiam coniungat, si quid à Misericordia posimus, Iustitia non denegemus quod à nobis petis.

Sed divina Iustitia hoc à nobis petit, ut si quadam difficilius velimus qua non habemus, demus aliqua facilius, qua habemus.

Ergo si vii quod non habes, da quod habes. Aut certe inique agi contra Deum.

I. PUNCTUM.

Ioan. 2.

NUPTIÆ factæ sunt in Cana Galilee, & erat Mater Iesu ibi; Vocatus est autem & Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias: Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum; vinum non habent, cum illa ministris, quodcumque dixerit vobis, facite; Dicit illis Iesus: implete hydrias aqua, & impleverunt eas ad usque ad summum, Quæ statim aqua in vinum optimum conversa est. Videri possunt, & considerari alia, quæ de hoc primo miraculo Christi referuntur ab Evangelista. Tum vero illud imprimis consideratione dignissimum, quod cum Dominus vellet indigentibus dare vinum, non alter Illud dederit, quam datâ prius ab eis aquâ. Cur ita porro? Nonne poterat vinum ex nihilo, aut ex aëre facere sine aqua? Aut nonne poterat si-

mul ipsam aquam & vinum facere; Cur illam sibi dari iussit, & in illas infundi hydrias, in quibus vinum merum erat facturus?

Ratio literalis est, ut sic miraculum vini facti, magis appareret, quando constaret omnibus nihil in vasis esse nisi aquam. Allegorica vero est quam refert sanctus Maximus, Novi nobis poculi prælibatum est sacramentum, Id est per illam aquæ conversationem in vinum, præsignificare voluit Dominus, sacramentalem conversionem vini in sanguinem suum: Vel ut ait, sanctus Augustinus, Fecit de aqua vinum Christus, cum aperuit sensum & exposuit scripturas; sic enim sapit quod non sapiebat. Anagogico item sensu, ad paratas in cælo delicias ex his paucis operibus nostris quæ per Gratiâ Dei facimus, referri potest.

Denique Tropologica, & Moralis expositio est, idcirco petitam & datam esse aquam, ad habendum vinum, ut intelligeremus sic à nobis ea peti à Domino quæ habemus, ut ab Eo impetremus quæ non habemus. Sic quando in deserto satiavit multitudinem jam triduo se sequentem, nec habentem quod manducaret; Non nisi ex datis sibi panibus, & pisciculis, eam satiavit; multiplicavit quidem panes, sed panes sibi datos, & non alios. Sic planè tecum ager, si sic cum Illo egeris; Da quod habes & quod petit à te Deus, si vis habere quod non habes & quod ab ipso petis.

Ratio quæ affertur eò magis certâ est, quo in ipsis Dei Attributis fundatur; Sunt autem duo attributa, Misericordia & Veritas seu Iustitia quæ in omnibus Dei operibus reperiantur, juxta illud